

rarum rudes : hoc est  
erant cives villani, opifi-  
ces, & si verum dicen-  
dum, homines agrestes.  
Eorum tamen judicii or-  
do & forma quam est suc-  
cineta? quam concinna &  
supervacaneorum expers?  
cauta, praecisa & provida?  
In ruborem, si fieri po-  
test, horum agrestium vi-  
rorum sana ratione, *bono*  
*sensu*, & admirabili *sapien-*  
*tia* dantur rabulæ omnes  
hodie forenses & docti  
crumenæ mulgi.

**Praefunde  
docti ho-  
die non  
multo  
plures;**

70. Si hoc etiam numero seposito solos jam profunde doctos, qui hodie sunt, cum doctis præteritæ proximæ aut ulterioris ætatis conferamus, rem aleæ plenam subit Muratorius, qui huic potius ætati quam præteritæ regnum rationis adjudicat, si tamen regnum id confistere debet in majore numero profunde doctorum. Quid enim tum, si decem hodie profunde docti plures sunt in Europa, quam ante annos centum? Propter hosne decem viros plerumque in umbra de-

## PARS II

gentes, plerumque inter se digladiantes & reliquo- rum semidoctorum factio- nes adversas post se tra- hentes in prælia, mundus hodie ratione plus polleat? Hoc equidem, ita me su- peri, bardus ego neque dispicere neque persuade- re mihi possum.

Præterea quis hic judex, Quos à re  
quis imperator, qui ad di- liquis di-  
ribitorum citet doctos? scernere  
qui illos in numerum pro- non est  
cujusvis.

fundorum admittat vel  
excludat? An populus?  
nempe indectus judicabit  
de doctis, cœcus de colo-  
ribus, anser de oloribus.  
An semidocti? At hi par-  
tium fere studio inter se  
divisi ab hæresi doctiorum  
pendent. An de Italis  
judicabunt Germani? An  
de Anglis existimabunt  
Galli? Nihil hic nisi ima-  
ginarium dici decernique  
potest, quemadmodum to-  
ta excellentia illa regni  
rationis hodierni præ ve-  
teri imaginaria tantum est  
& fere puerilis ingenii sibi  
blandientis, senesque pra-  
se deliros existimantis.

## P A R S III.

# Argumenta pro regno rationis veteri præ hodierno.

Ubi ostenditur, in quocunque consistat fortitudo & regnum rationis, sive in numero intellectorum, sive in varietate, sive in facili inventione agendo, rum &c. Veteribus majorem fere adfuisse rationis fortitudinem & regnum, aut saltem non minorem quam modernis.

1

**De Theologia, sive  
vera DEI ac divinorum  
agnitione veteri ac  
moderna.**

**Q**uoniam multiplex  
est hoc Argumen-  
tum & nobis pro-  
posita brevitas est, discri-  
minanda in limine sunt  
nonnulla.

71. Non igitur hic est De reli-  
animus de religione tan-gione  
quam virtute agere, quæ hic aga-  
voluntatis est ad res divi-  
nas affectio in exteriores  
actus etiam promicans.  
Rationis enim hic seu in-  
tellectus negotium agimus,  
quidque is in religione  
olim atque nunc valuerit.

Paucis vero examinabili-  
mus, num ratio hodierna  
potentior sit in rebus ad  
G 2 DEUM

DEUM pertinentibus dif-  
fendis docendisque, se-  
cundum variam mundi  
ætatem: secundum va-  
rium hominum ordinem.  
Expositoque statu rei an-  
tiquo, subjiciemus novum,  
ut perspicere liceat, num  
is præstet antiquo.

### Theologia ante Christum natum.

**D**e DEO 72. **E**quidem de primis scientia ab ipso DEO pri- memorabo, quos in di- vina scientia fuisse excel- lentes dubium non est, tam meti illud Sacrae litteræ nobis non dicerent. Agno- vit enim PLATO multis locis suæ Philosophiæ, omnem de DEO scien- tiam non nisi ab ipso DEO in homines derivari. DE- UM autem, cum sit provi- dus ac bonus, primos ho- mines à se solo generatos animo præsertim tales pro- creasse, ut nihil decesset ip- sis necessarium, quorum primum esset agnitus paren- tis. Nihil etiam quod de hoc primo necessario in posteros deberent pro-

pagare. Inde fit, ut Plato in omnibus fere de DEO sermonibus deque rebus ad DEUM, vitam futu- ram ac beatam pertinentibus semper ad sermonem veterum hominum provo- cet tanquam DEO paren- ti suo propiorum.

Quodsi vero tu *Plato-* nem hæc tantum somnia- se dicas, contendasque, religionem non fuisse pa- rentibus à DEO revela- tam, sed veterum ingenio omnia ista fuisse inventa: plurimum cause tuæ no- cere mihi videris. Ete- nime fingamus hodie nihil de religione ulli mortalium constare, sicut antiquitus nulli constare debuit, si homines ista primitus in- venerunt; hoc in statu putasne nostros hodie ho- mines sua ratione aliquid inventuros sani circa reli- gionem? tam parum, ita existimo, quam infans heri- natus. At veteres tua op- nione invenerunt ex sese ac sine revelatione tam multa in religione, quæ omnium confessione bona & vera sunt. Veteres igi- tur

tur plus nostris valent ra-  
tionē.

Quæ cor-  
rupta, Plato, cum deinde pravi- etiam à taq; hominum & socordia  
solo Deo  
potest  
emendari

73. Ad hæc agnoscit  
hanc de divinis scientiam  
plurimum obscuravit, om-  
nem hanc obscuritatem,  
dubia, errores tolli peni-  
tus non posse, nisi aliquis  
ex divinis ad nos redeat,  
nosque edoceat. Quem-  
admodum enim primo illæ  
notitiae ex nobis ipsis oriri  
non potuerunt, ita neque  
ignorantia post subnata &  
error emendari illustrari  
que ex nobis ipsis valebit.

Qua in re *Plato*, unde-  
cunque illa didicerit, to-  
tum divinæ scientiæ nego-  
tium ad fundum exhaustis-  
se mihi videtur, idemque  
dixisse, quod Moysi divi-  
nitus revelatam mundi hi-  
storiam scribenti debe-  
mus: nimurum, DEUM  
fecisse hominem ad ima-  
ginem & similitudinem  
suam, hoc est intelligen-  
tem D E I, quemadmo-  
dum intelligentissimus sui  
est ipse DEUS à qua intel-  
ligentiæ sublimitate sese

ipsum curiositate ac super-  
bia cum deturbasset Ada-  
mus, hisque peccatis ani-  
mam subdidisset, non alia  
ei opis spondebatur, nisi  
ex semine mulieris contri-  
turi caput serpentis, hoc  
est peccati ignorantiae, cu-  
riositatis & superbie, quæ  
emendaturus erat Messias  
ex Virgine nasciturus,  
omnibus deinceps patri-  
bus speratus, quorum pa-  
trum traditio ad Græcos  
etiam antiquos & per hos  
ad Platonem pervenit.

74. Deinde vero scien- Etiam in-  
tia hac theologica fabulis ter fabu-  
mortaliū turpiter fœda- las re-  
tā, nihilominus perseve- manit ve-  
rarunt multa quæ non pa- ra tradi-  
rum boni ac rationis sapi-  
unt. Et apud Hebræos Hebræi  
quidem nihil erat simula- simulacris  
corum, DEO ipso vetan- carebant,  
te, ne divina essentia vi-  
deretur aliquibus formis  
esse circumscripta. Hæc  
que Judæorum ratio mul-  
tis etiam gentilibus pla-  
cuit, qui in Hebraeorum  
de divinitate doctrinam  
etiam ex longinquō ve-  
niebant, ut in templo nu-  
men unum re, virtute tam

54 Pars III. Argumenta pro regno rationis

multiplex adorarent. Existimabant enim Infinitatem se, quæ omnibus divinis attributis ineſt, perdere ex animo, si figuris quibusdam illa definirent.

Ægyptii  
abunda-  
bant.

Ægyptiis porro placuit singulis prope attributis divinis, quæ quidem in animum ipsorum veniebant, singulas figuræ assignare. Qua in re non tam ad divinitatis essentiam respiciebant, quam ad suam, divinitati subiectam. Cum enim hominis mens ne ceteras quidem res concipere naturaliter possit, nisi ideis quibusdam, ac signis admonita; multo reperiebant difficultius, sine signis admonentibus concipere tam sublimia & à sensibus remota, divina. Idcirco qui

Ægyptiorum res atque historias, quamquam superstites sint paucæ, legunt, facile intelligent, Symbolicum fuisse fere omnem initio Ægyptiorum cultum. Postiores tamen

Ægyptii, Sacerdotibus & lingua sacra per Cambyses deletis, vehementer

etiam hunc corruerunt, & in meram denique superstitionem commutarunt.

75. De Ethniciis mihi Ethnici semper visum, priores Ido trunctorum cultores neutiquam fuisse ita trunctorum, ut apud non habuerunt pro crea- fesse asseverarent: *Hoc lignum simulacrum est Deus meus*, sive prima causa omnium rerum, omnis sapientiae & omnis vitae. Cui mens constat nec est phrænesi extra sedem mota, is profecto hoc serio affirmare tam parum potest, quam dicere: *Hic sol est causa tenebrarum*; vel hæc recondita spelunca est causa meridiei. Certe Philosophi gentiles, cum à Christianis urgerentur de cultu idolorum, pernegrarunt se saxum tanquam DEUM adorare: ne Jovem quidem, Junonemque se tanquam divinitatem seu rerum omnium originem colere, quippe quos historiae ipsorum loquerentur reges Cretæ & mortales fuisse: Sed DEUM illud ens entium se agnosceré, cuius infinitas emanationes, opera, seu attributa signis qualibus-

Pars III. Argumenta pro regno rationis. 55

Hibuscunque sensibilibus exprimerent, utpote in Jove cælestem vim, in Junone aëris beneficia per DEUM præstata, in Vulcano spiritum qui ab Ignis elemento in omnia propagaretur, atque sic porro.

Neque gentium docto Paulus aliter cum gentilium principibus egit in Areopago, - quin ipse veterum poëtarum allegavit testimonia: *Jovis nos homines esse genus, in ipso nos vivere, moveri & esse*: ubi ostendebat senatui Paulus, hunc esse de divinitate sensum ipsorum gentilium præceptorum. Hæc autem quomodo conveniunt in saxum, aut in Jovem mortuum Cretæ regem, ut Dionysius vel Paulus in faxo vel in sceleto vivat & moveatur & sit. Aut forte Athenienses genus omnes duxerunt è faxo, ex aëre, aut ex Cretæ regibus? Eundem in modum cum aliis poëta Ab Jove Principium sumit, quod *Jovis omnia plena sint*, non ita pepo locutus est, ut truncum querum aut fe-

lem Ægyptiam principium dedisse œstro suo poëtico crederet, aut omnia plena esse hominis Cretenis necio ubi sepulti.

76. A vulgo autem tum Vulgus

Ægyptiorum tum reliqua- tamen rum gentium miram ac misere miserabilem plane super-

stitionem fuisse superinductam mirum haud sane videri debet, consideran-

tibus, quid etiam nunc au- deat populus & quorsum Causæ su- delabatur, si suo genio re- persitio-

linquatur, si sapientes ad num.

illi cedendum sunt indul- gentiores, si ad conservan- dam puritatem divinæ do-ctrinæ sunt segniores, si ipsimet docti curiositate ac novitatis studio se abripi patiuntur, si à veterima traditione pedentim re- cedatur & ea spernatur.

Non defectus rationis, sed hæc, quæ diximus, ve- terem Ethnicorum popu- lum à vera de divinis tra- ditione desciscere fecerunt.

Maximum sane, quod Pla- Ratio ar- guta, ma- to agnoscit, in hoc detri- xima cau- mentum attulere ii, qui sa super- maxime ratione pollere vi- stitionis deban-

56 Pars III. Argumenta pro regno rationis.

debantur, hoc est, POETÆ, sive Ethnicorum illo tempore doctissimi. Iстis hominibus rationem defuisse, nostri dicere non possunt; imo fateri debent, in ipsis præcipuum quiddam fuisse rationem. Horum enim qui extant libros doctissimi quicunque ex nostris in deliciis habent, tanquam præstantis ingenii partus eos agnoscunt, ac sibi ceterisque imitandos proponunt. Curiositas, novitatis studium & cetera supra dicta istorum ingenia abiiebant, ut res antiquas novo modo, novis sub speciebus, adeoque novis figuris exparent. Quæ nova dum recipiuntur, paullatim vetera & vera in oblivionem abeunt; maxime si novis carminibus & fabulis pueritia innutritur, quemadmodum innutrita fuit apud Ethnicos, quorum pueritia Homerum ediscebat, sicut nostra Canarium.

Inter Christianos athei sunt

77. Non aliter accidit etiam temporibus Christianis & nostris. Non rationis simplicitas veterum no-

bis peperit istas pestes hæresum, superstitionum, infidelitatis, naturalismi, atheismi & honestorum puerorum; sed ingenii rationis ostentatio, pueriles ratios cavilli, affectatum acumen, curiositas, novitas, à ceteris se distinguendi ambitio, antiquitatis puerilis contemptus, verbo Vanitas: quam si rationis nomine tu intelligere, ei que regnum hodie præcipuum vindicare velis, nihil veto.

Deinde vero Socrates & Plato, quando errorem non ratiocinorum gentilium corripere sed aure & emendare conati sunt, emendat non tam rationis in suis defectum accusarunt, quam eos, ubi de divinis sermonerat, ad veterum traditionem ire jussérunt, & ad audiendum eum, si quis ex divinis ad nos hæc traditurus veniret. Intelligebant enim, divina percipiente hac ratione tenebricosa atque curva non posse, nisi divino magisterio humiliter subjiciatur.

78. Ex adhuc dictis, quæ Antiquis dispu-

Pars III. Argumenta pro regno rationis. 57

in theolo- disputari amplissime & ex-  
ologia non ponni possent, satis, op-  
eris, colligere licet, in  
ratio.

tempora rationem antiquis  
non defuisse: rationis pec-  
cata commissa ab ipsis fuisse  
eadem, quæ à nostris  
& fortasse magis ac stadiis  
committantur; quippe  
qui post tot erronum ex-  
empla, post tot lumina  
adhuc & libenter errant.

Non igitur regnum ra-  
tionis hodiernum præ ve-  
teri hac in re quidquam  
præcipui habet, nisi ma-  
jorem pudorem majorem  
que nequitiam.

Theologia post  
Christum natum.

Christi  
doctrina  
79. Inexplicabilis est tum felicitas illa, tum vis  
divina, qua Christus JESUS idemque infami cruci confixus gentes acutissimas, gentes barbaras, senes ac pueros, foeminas ac viros nova quadam de divinitate luce convertit:  
itaque subito, ita extraordi-  
nario modo convertit,

itaque devicit devinxitque  
animos, ut rabidis quibus-  
que tormentis non possent  
superari.

Hanc doctrinam divi- est vera  
nam esse, aliis quem his Theolo-  
argumentis confirmari pe- gia.  
tere, nimis quam super-  
bum est ac insolens.

Hujus adeo doctrinæ in-  
telligentiam veram esse  
theologiam, hoc est divi-  
nam scientiam, non minus  
in confessio est.

80. Consequitur autem, Doctrina  
quo dissimilior sit in aliquo ei dissimi-  
homine scientia scientiæ illæ sunt  
Christianorum, hoc minus minus  
esse præstantem in eo ho- Theolo-  
mine theologiam. gicae.

At nostræ ætatis homi-  
nes permulti longe dissimi-  
lem ab illa sectantur sci-  
entiam: id quod jam osten-  
do.

Christus, Petrus, Pau-  
lus, postque Apostolos Pa-  
tres Sancti divinam sci-  
entiam in spiritu & virtute  
tradebant, non arbitran-  
tes se scire aliquid nisi JE-  
SUM, & hunc Crucifixum:  
non in persuasibilibus hu-  
manis

manæ sapientiæ verbis, sed in simplicitate sermonis & in magnitudine fidei : devitantes quæstiones supervacuas & genealogias interminabiles : parati in eruditis experimentum dare ejus, qui in ipsis inhabitabat, Christi : Propterea plerumque doctrina & prædicatio incipiebat à pœnitentia.

Quid de  
moderna  
Theolo-  
gia?

Moderna autem Theologia arida fere est, & cum promittat magnam certitudinem, demonstrationes Aristotelicas, aut etiam nova methodo scientifica rigorosa (si superis placet) sit conscripta, & mathematicis subtilitatibus par, nemo tamen pro hac certitudine vel pilum sibi è corpore avelli patiatur, ne dicam scorpiones ferat. Neque hoc ipsi, qui in hac scientia primi doctores sunt, in se admittent, nemus eorum discipuli, aut vulgus eos audiens. Tantum abest ut scientia hæc intellectum convincat: quoniam superato subacto que quomodo voluntas obsecetur? Vana igitur est

illa rationis hodie in Theologia jactatio præ illa veteri.

**§1.** Hæc cum dico, non damna mihi propositum est, damnare Theologiam illam dogmaticam sive speculativam via ac ordine incidentem; neque damnare usum argumentationum.

Quin & hic necessarius est, quando cavillis, & argutis insurgentes rectæ doctrinæ adversarii viciisse se calumniantur, nisi veris argutiis os falso argutum & dolosum oppressum fuerit. Illud unum hoc loco contendō, non apparere in hac theologia fortiorē rationis vim, quam in veteri. Utrique ratione usi sunt & hodierni Theologi & veteres Christiani: sed veterum ratio. fide. viva mire illustrata stupenda illa effecit, quæ per hanc theologiam vix efficientur, in qua præcipua cura de ratione est, ultima de fide. Neque adeo in scientia di- vina appetet hodie tam vastum ac præpotens rationis regnum..

**§2.** Et

Theolo-  
gia pesti-  
fici  
orum  
puerorum.

82. Et hæc quidem hanc solum de Theologia adfera honestam nobis dicta sunt: quid autem memorem de illis hodie hominibus, quorum quisque sibi scientiam divinam seu theologiam pro quadrato capite suo fabricatur, eandemque ex stimat puram putam rationem esse si capiti eidem conveniat? Neque soli Angli in eo numero sunt, sed plerique heterodoxi. Et in orthodoxos quoque hæc pestis paullatim irrepit per heterodoxos præceptores, quos audiendos sibi nobilitas nostra putavit, spe rationis melius excollende: quod alibi exemplo Comitis W. docui,

quem professor Batavus juvenem hortatus est, ut de religione sibi diligenda curam jam omitteret, inque annos senioras remanti momenti differret, dum ratio satis exulta es fet. Plura hic de miseria istis religionum ex sua ratione fabris dicere, moram longam injiceret: quos ipsa ratio evidenter mendacii convincit. Nam Ratio ipsa certe non est alia

quam Veritas: Veritas autem non est quod secum pugnat: At horum rationes inter se mire pugnant: Non igitur horum rationes sunt Ipsa ratio, sed spuriū quiddam & abortivum rationis pulcro nomine male vestitum.

## II.

De Politica sive sci-  
entia rempublicam ge-  
rendi Veteri ac mo-  
derna ac primo.

## De Regibus.

83. Ignoscant mihi illa ca- De regi-  
pita, si paucis & fo- bus cum  
briè hoc urgmentum ab reveren-  
solvam, ne, si scrutator quendam,  
sim majestatis, opprimar à gloria. Reges hodie & que  
magnos esse atque olim, demonstatione nisi digi-  
torum non indiget.

Adhæc reges hodie ju- Reges  
venilibus annis erudiuntur adoles-  
illis disciplinis, quibus ex- centes  
coli ratio dicitur & acui. hodie  
Quod paucis veterum re- eruditum  
gibus contigit. Quantum ris:

H 2

non

60 Pars III. Argumenta pro regno rationis.

non operæ sibi sumpserunt doctissimi Galli ad libros in Iussu Delphini edendos & commentariis illustrandos? Et fuere sane ab aliquo tempore reges docti. Jacobus I. Anglorum libris Basilicis scriptis clarus. Hodie quoque fama late celeber in Germania rex aliquot singularium librorum auctor fertur: alii que dignitate non impares Principes et si non libris, doctrina certe illustres sunt.

84. Ut ut ea habeant, neque praterita ætati docti defuere Principes: quorum Maximilianus Divus primus libros conscripsit non paucos; Carolus V. nepos disciplinis pluribus imbutus fuit; Ferdinandus secundus Ingolstadiensem etiam Academiam litterarum discendarum causa incoluit, ut alios taceam. Prisco illo aeo Julius Cæsar non magis armis quam stylo potens fuit: Ptolomæus ægypti rex libros non tantum collegit sed & didicit: Alexander magnus jubente patre op-

tim Græciae magistro Stacyritæ probe se imbuedum tradidit. Sequore deinde ævo Carolus Magnus disciplinarum plurium tot inter negotia atque bella cultor fuit eximius: Fridericum secundum hausta ex Arabibus scientia etiam in invidiam & periculum adduxit. Quamobrem non nisi admodum anceps est id argumentum, quod pro regno rationis hodierno ex doctrina regum ducitur; cum illud pro veteribus forte non minus militet: maxime cum apud Græcos non Imperatores modo sed & Reginæ vario doctrinæ genere librisque editis effulserint.

85. Ceterum num hæc Regum regum eruditio quocun doctrina que ævo regnum rationis <sup>an</sup> regnum erigit, multo adhuc est <sup>rationis</sup> augeat? incertius. Observarunt enim historici, doctos principes non raro doctrinæ propugnare adversari, ut ipsi soli videantur eminere etiam intelligendi vi, qui jubendi potestate ceteros obnoxios habent. Et nota

Pars III. Argumenta pro regno rationis. 61

nota in vulgus est Sigismundi Imperatoris vox, existimantis se Grammaticorum vocibus genera edictis propositis decerne-re posse, ut deinceps damnabilem Schismam, non damnable schisma detestare-mur. Contrà fuere non pauci reges illitterati, qui litteris præstito favore eas plurimum extulere. Ludovicus XIV: Gallorum rex, absit invidia, magnus, litterarum expers regnum tamen suæ gentis non modo prolati pomœriis plurimum extendit, sed litteris, academiis, doctis viris, artibus exornavit. Eadem jam ante Franciscus Primus, magnos licet inter labores & adversos easus præstitit: qui primus ostendit quantæ essent unius Franciæ adversus reliquam Europam vires sub rege non quidem docto, sed prudente & cordato, qualis erat ipse. Iustiniani augusti ruditas contem-pui erat, quem tamen liberatorem Jurispruden-tia nimium quantum con-fusa exspectavit.

86. Aiunt etiam, docti re-trinam & litteras multas ges sub-non bene consistere cum inde ti-virtutibus regiis. Docti timidiores sunt, quod pre-tium vitæ magis agnoscant: unde risui fuit nautis phi-losophus in naufragii peri-culo ceteris ridentibus solus impallescens. De Ja-cobo I. Anglorum rege ferunt, ensis nudi aspe-tum horrorem incusisse; quod occasionem dedit sarcasmo: Rex erat Elisa-beth, nunc est regina Jaco-bus. Alphonsus sapiens Castellæ rex ita etiam sibi doctus, ut Momo na-suitor non corporis modo humani formam sed cælestium corporum aedificium sapientius se conditum speraret, quid magnæ rei geslit, nisi quod inter Astrologos & Geometras conserueret? neque est ausus Imperatoriam ma-jestatem à Germanis sibi delatam tueri: cum ejus affinis Arragonum Princeps, rudis licet, Baleares insulas cum Valentia re-gno Arabum ditione ere-patas sibi atque religioni vindicaverit, Nero do-

etus fuit & reipublicæ calamitas magna. Diocletianum non prohibuit ruditas quo minus res Imperii gnaviter tueretur, majora præstitus, nisi contra DEUM extendisset manum innocuum Christianorum sanguinem fundens. Contrà Julianus doctrinis pollens & librorum scriptor quam perditæ administravit bellum Persicum? Infinitus sim, si quæ in rem dici possunt singula referam. Unde conficitur, ex regum doctrina neque antiquitus neque nunc quidquam probari de regno rationis in re politica; cum sicut indocti reges doctrinas promoverunt, ita reges docti presumedere rempublicam aut fuere socordes. Et quando ille dixit, *Felicem esse rempublicam, in qua philosophi imperarent, aut reges philosopharentur*, non hæc illi in mentem venit philosophia, quæ doctrinis istis absolvitur, sed *sapientiae amor* longe ab his diversæ, quippe quam D. Montesquœus, admirabilis laudat in veteri-

bus Germanis quantumvis educatione, arte, doctrinaque destitutis.

87. Ad ultimum si ho- Compa- diernos reges veteribus ratio re- conferimus, prodit se ali- gum ho- quod discrimin. Antiqui die ac per se administrabant olim.

rempublicam, causas audiabant, in acie dimicabant, regnum juris dicundi causa obibant, leges condebant. Nunc pauci sunt, qui non administris omnia relinquant. Et quid juvat in adolescentia eruditos fuisse litteris? quid inquam juvat ad rationis regnum hodie in re politica probandum eruditio juvenum regum?

### De Administris & Consiliariis.

88. Ex horum nostris die Humana bus dexteritate, consilia providentia, ac penetra- semper tione nescio an quidquam lubrica- præcipuum præ antiquis elici possit. Fuere Seiani & hodie: fuere Richelii & olim. Olim optima consilia intervertit casus nemini

ni

ni prævisus: & nunc num prævidentur omnia? Examinanti res pro sola hereditate Austriaca gestas quanti se offerunt errores? & quanti se etiam deinceps offerent?

Providen- Nempe providentia illa summa regnatrix curas mortalium sibi ludos facit, ut post acerrime cogitata sepe cogantur dicere: *Non putassem*: hocque dicendo submittere cristas atque agnoscere quam nauic sit illud ambitiosum rationis regnum.. Profecto nulli fere magis quam publicarum rerum administrans habent manibus ipsis palpandi, quam sit debilis ratio humana.. Omnia enim confilia fere de futuro sunt.. Futurum autem ex præteritis ac præsentibus infertur. Illatio & consecutio rationis negotium est præcipuum. Et quoties hic decipiuntur? Ipse audivi ex viris talibus, qui, me sollicito, rerum suarum tam erant securi ut nihil magis; quæ tamen tribus post septimanis verba sint in contrarium om-

nes. Et hæc quidem diffusius tractare (adeo sunt certa & evidenter) esset temporis jacturam facere.

### De Legislatoribus modernis & antiquis.

89. Paucos hodie num- Pauci ho- ramus Legumlato- die legum: res. *Ludovicus* quidem de- latores. *Ludovicus* quartus codicem edi- Ludovi- dit Ludovicianum, qui cæ- cus XIV. teris sepositis regula esset illitera- fori & judiciorum. Sed is, ut tus. mihi referunt qui Galliam diutius incoluere, bibliothecas fere ornat, foro qua si ignotus est, neque tantus rex potuit sapientissimis adhbitis ministris, apparatu que legum omnium veteriorum usus, compilare codicem aptum regno: aut ut aptum reciperent non potuit apud subditos quamvis regum omnium hujus certe principis amantissimos efficer: Cum Justiniani *Justinianus* compilatus ex legibus Ro- manis mire truncatis mixtus. manis inde nemine imperante fit & in scholas & in forum & in rempublicam recep- tus;